MASTER NEGATIVE
NO. 93-81265-6

AUTHOR:

MULLER, IWAN [PHILLIPP EDUARD]

TITLE:

OBSERVATIONUM IN CICERONIS DE FINIBUS..

PLACE:

ERLANGEN

DATE:

1869

Master Negative #

93-81265-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87004
Z8
v.1

Müller, Iwan [Philipp Eduard], ritter von, 1830-1917
...Observationum in Ciceronis De finibus libros particula prima. Erlangen, J. P. A. Junge, 1869.
21p. 25½ cm.

Academic program.

Vol. of theses.

204365

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 04/07/93 INITIALS Emil
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE

LITERARUM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

D. ADOLFUS DE SCHEURL

JURIS CIVILIS ROMANI ET JURIS CANONICI PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT.

PRAEMISSA EST

IWANI MUELLERI

OBSERVATIONUM IN CICERONIS DE FINIBUS LIBROS

PARTICULA PRIMA.

ERLANGAE.

TYPIS JOANN. PAUL. ADOLPH. JUNGE ET FILII.

MDCCCLXIX.

Quaestio est appetitio cognitionis quaestionisque finis inventio.

Cic. Acad. II, 8, 26.

Nuper cum Madvigius novam post viginti annos editionem librorum Ciceronis de finibus pararet, in summa expectatione erant omnes, qui in Cicerone vel enarrando vel emendando operam ac studium ponere solent. Posteaquam enim ille hos libros primum edidit, cum omnia Ciceronis scripta optimorum codicum auctoritate recensendi studium exarsit incredibile, tum ad huius ipsius operis emendationem magna facta progressio est. Haec in eo potissimum cernitur, quod nova ei subsidia critica parata sunt, quibus olim Madvigius, si non omnino caruit, at certe non potuit uti nisi admodum mancis atque imperfectis. Cum enim hos libros emendaturus melioris tantum familiae codicibus niti vellet repudiata lectione codicum, quos aut alii ante eum aut ipse primus cognovisset deteriores, praeter ea quae ex optimo quodam libro in margine editionis Cratandrinae (Basil. 1528) adnotata erant quaeque Morelius in Observationum in Cic. libros de Finibus commentario (Paris. 1546) ex codice non minus bono protulerat, fundamento solo usus est codice illo, qui in nostrae Academiae bibliotheca asservatur (cod. Erl. Nr. 847) scriptus anno 1466; Palatinorum autem duorum, quorum alterum (a Baitero lit. A signatum) saec. XI fide atque auctoritate Erlangensem praestare, nisi quod in libr. IV §. 16 desinat, nunc cognitum est, alterum (lit. B sign.) non inferiorem eo esse, quippe qui prope gemellus eius dici possit, nullis aliis lectionibus uti potuit, nisi quas ante plus ducentos annos Gruterus ex sex codicibus, in quorum numero Pal. A certe fuit — de altero (B) dubium est (cf. Madv. ed. alt. praef. XXXII adn. 2) — excerpserat raras easque neglegenter ut illis temporibus enotatas. Nam inter belli tricenarii tumultus infelici casu factum erat, ut codices illi una cum reliqua manuscriptorum bibliothecae Palatinae copia post captam a Tillyo Heidelbergam (1622) in praedam victori cederent atque a Maximiliano Principe sive Caraffae calliditate victo sive superstitione quadam capto sive suas ut in illius temporis fluctibus utilitates sequente Gregorio XV dono, ut hic

dictitabat, dati trans Alpes a Leone Allatio in Vaticanam auferrentur *), ubi per plura saecula oblivione obruti iacebant, donec nostra demum aetate e tenebris in lucem sunt protracti. Quibus diligentissime a Prieno perlustratis Baiterus et Halmius in editione altera Orelliana 1861 et Baiterus in ed. min. Tauchn. 1862 ita usi sunt, ut non solum, quae esset Palatini A praestantia quaeque ei cum B et Erl. ratio intercederet et his tribus cum deterioribus, intellegeretur, verum etiam textus librorum de finibus ipse permultis locis emendari perpurgarique posset. Accedit quod ipsius Erlangensis lectiones denuo atque multo diligentius quam quas Madvigius olim acceperat, ab Halmio excussae sunt, ut de huius codicis scripturis iam nulla possit esse dubitatio **). His igitur tantis praesidiis et in lucem editis et egregie adhibitis de

*) cf. Baehr. Entführung der Heidelberger Bibliothek nach Rom, in Serap. 1845 Nr. 8. 9. 10.

**) Si quam tamen alicui suspicionem Madvigius etiam in nova editione moverit, tum quod nonnullis locis scripturae ab Halmio enotatae (Eh) eam, quam in sua collatione invenerit, apposuerit (Em), tum quod silentium collatorum huius illiusve scripturae veritatem in dubium vocaverit, ego codice ipse inspecto primum animadverti, omnibus locis priorum duorum librorum — nam intra horum fines me hoc libello continui de ceteris alia data occasione disputaturus —, ubi discrepantia scripturae a Madvigio notaretur, Halmianam lectionem esse veriorem. (I, § 8 'ego autem quem timeam lectorem' in varietate scripturae a Madvigio scribitur: '*timeatur* Em (non Eh)', sed non indicatur, quid Halmius legerit; recte quidem collatores Madvigii: *timeatur*, sed ne Halmium quidem aliter legisse puto atque idcirco nihil ex Erl. notatum esse, quia eius scriptura cum B conspiraret; II, § 23 a Madvigio adnotatur: 'dimisit (pro dum sit) Em [non Eh]': in codice est: *dum sit*). Deinde ubi ille de lectione codicis propter silentium collatorum incertus esset, ibi rem ita se habere inveni: I, § 8 'res vero bonas verbis electis graviter ornateque *dictas*', ubi Madv. in adnotatione: 'Vereor, ut in Erl. hic silentio eorum, qui eum mihi contulerunt, confidere possim [sed etiam de Eh tacetur]', codicem habere *dictatas* (ut A B); ibid. 'ut a Scaevola est *praetore* salutatus, ubi Madv.: 'In E, de quo tacetur, fortasse compendium fuit (PR)', in codice scriptum esse *p̃tor*, id quod iam L. de Jan in censura prioris edit. Madvigianae (Münchner gelehrte Anzeigen 1842 p. 427) observaverat; § 12, ubi Madv.: 'M. *que* A. M'. E (?)', in Erl. esse M manilium (sine puncto post M); II, § 12 'quicumque Epicurei esse *voluerint*', Madvigium queri, quod omnes qui vol*uerunt* edidissent, tacerent de codicibus; Erlangensem quidem habere vol*uerint* nec Baiterum tacuisse de codicum A et B scriptura; §. 14 '*itemque* inter eum, qui potiatur corporis expetitis voluptatibus', ubi ille dubitet, rectene Goerenzius aiat in Erl. esse *item* pro *itemque*, Erl. habere *itemque;* ibid. 'qui *excrucietur* summis doloribus', compositum verbum scriptum esse non solum in B, sed etiam in E; § 24 'cum decimano', ubi ille: '*decumano* C R Or. (ELPM?), in E esse decimaco; § 27 E scriptum habere *tamen* patior pro *tantum*, § 35 et 43 non *Herillum*, sed *Erillum;* § 56 'magno aliquo emolumento captus *n̂i* causa, si opus erit, dimicabit'. Denique nolo illud praetermittere, § 24 'es homo miser, inquit' non solum A', sed etiam Erl. habere mis*eri*, quod nemo ex hoc cod. enotasse videtur.

emendandis libris illi post Madvigium optime meriti sunt; ad res ipsas autem, quae his libris continentur, illustrandas neque ab his, quippe quod ab eorum proposito alienum fuerit, neque ab aliis multum operae ac studii collatum est, nam in hac quidem re tantum profecisse Madvigius existimabatur, vix ut quidquam reliquisse aliis videretur. Itaque praeter singulas virorum doctorum de nonnullis locis commentationes una tantum prodiit editio, quae in oratione Ciceroniana explananda versatur, Alani Hiberni dico *), qui tamen quamquam exempla Ciceronis verba illustrantia diligentissime contulit, neque ad res subtilius cognoscendas lucis quidquam affert et in artis criticae usu mirum in modum nutat modo ingeniosas audacesque coniecturas suspicionesque proferendo, modo codicum et deteriorum quidem vestigia nimis presse sequendo. Quo maiorem in expectationem homines Ciceronis studiosos Madvigius adduxit, cum nuperrime hos de finibus libros secundis curis emisisset, quid fructus ex illorum codicum plene adnotatis lectionibus ad emendandum textum percipi posse ipse existimaret, quid praeterea novi ad res et verba scriptoris explananda attulisset. Nec fefellit expectationem vir acutissimus idemque Ciceronianae orationis, si quisquam, peritissimus. Nam quaestione instituta, quonam inter se vinculo codd. A B E coniungerentur, cum codicis A, in verborum potissimum ordine, auctoritati tum codicum bonorum omnium consensui obtemperans non ita pauca, ut ipse dicit in praef. p. III, quae antea incerta erant, ad firmiorem codicum fidem revocavit praeeunte in multis Baitero, et in iis, quae sententiam aut rectam orationis formam propius attingunt, aliquotiens mutata superiore scriptura aut ipsam simpliciter codicum fidem secutus est aut ex eorum vestigiis verum eruit, quasdam suas aliorumque suspiciones, quas antea in adnotationibus reliquerat, aut novis indiciis corroboratas aut aliorum consensu comprobatas in contextum orationis recepit, ut altera eius editio, etsi universa operis forma intacta relicta est, tamen multis locis correcta emendata limata dici possit. Quamquam iam ita confectum esse criticorum et interpretum negotium, ut, quae in his libris corrupta viderentur, omnia sanata, quae obscure dicta, enodata sint, quis est, qui contendat? Nam codicum, etiam meliorum, eam esse condicionem, ut Archetypus, ex quo manassent, ipse aut omissis verbis sive uno sive pluribus multifariam detruncatus aut additamentis — quamquam rarioribus — interpolatus aut pravis librariorum mendis corruptus esset, iam superiore editione Madvigius (praef. §. 3) demonstraverat et nunc satis cognitis codicum diligentissime col-

*) M. Tullii Ciceronis de finibus bonorum et malorum libri quinque. Recensuit Henr. Alanus Dublini 1856 (pgg. 279).

latorum scripturis magis etiam intellectum est. Quamobrem non unius hominis, ne sagacissimi quidem, opera sufficit, sed coniunctis virorum doctorum viribus opus erit, ut huius operis Ciceroniani quamvis praeclara in eo recensendo iam opera collocata sit, textus magis magisque mendis ac vitiis perpurgatus ad veram manum scriptoris propius accedat et simul rerum verborumque explanatio orationem in dies reddat apertiorem et dilucidiorem. Itaque ego, si quid operae, quantulumcunque esset, ad utramque rem conferre possem, hac disputatione tentavi, doctorum iudicio permissurus, frustrane aut res iudicatas denuo in iudicium revocasse aut 'inanibus coniecturarum ludibriis' indulsisse viderer.

I.

I, 2, 4 Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiciat, quod se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas litteras oderit? *'Synephebos ego' inquit 'potius Caecilii aut Andriam Terentii quam utramque Menandri legam?' a quibus tantum dissentio,* ut, cum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Atilii mihi legendam putem.

Hic locus superiore aetate inde a Guilelmo Morelio multos et editores et interpretes vexavit. Recentiore aetate Jacobus in Observv. in Cic. libros de finibus (Philolog. VI, 480) de eo disputavit, sed non ita, ut omnia enodasse mihi videatur; Madvigius refutata priorum aut *qui se iisdem* legentium aut *litteras* aut omnino *Latinas litteras oderit* delentium sententia in his potissimum, quae sequuntur: *Synephebos ego — a quibus tantum dissentio,* offenditur. 'Paulo abruptiore oratione' inquit 'primum fere idem, quod negarat quemquam dicturum, sibi a diversa parte dici facit; deinde, cum tantum universe sententiam aliquam et orationem significavit, quasi ipsos homines nominarit, subicit relativum plurale (a quibus), durissima figura'. (ed. 1 et 2). Audio; sed quamquam illa verba Ciceroniana non nihil habent offensionis, tamen ita defendi possunt, ut nec insolitam esse orationem abruptiorem nec durissimam figuram dicendi dicas neque tautologiam quandam sententiarumque secum repugnantiam huic loco inesse statuas. Totum enim qui sequitur locum de Latinarum litterarum cum Graecis comparatione si tanquam pro fundamento interpretationis posueris, non dubitabis, quin Cicero illa verba sic intellegi voluerit: Qui de nostris sunt Graecis doctrinis eruditi,

fabellas Latinas ad verbum e Graecis expressas non inviti legunt. Nec mirum; quippe cum nemo Romanus tam inimicus paene nomini Romano sit, ut fabellas, quales Ennius aut Pacuvius expresserint, vel ideo reiciat, quod Latinorum poëtarum sint, cum solus *Graecis litteris* delectetur, *Latinas* prorsus oderit.' Pro *Graecis literis,* quod contrarii ratio postulat, Cicero posuit *Euripidis fabulas,* ad sententiae rationem non satis acute, quod tamen singularium exemplorum, Ennii Medeae et Antiopae Pacuvii, vicinitate excusatur. Nemo igitur Romanus Graecas fabulas Latinis ob id ipsum praefert, quod e Graecis ingeniis ortae sint, Latinas Graecis postponit, quod Latinorum poetarum sint; id enim eorum tantum esset, qui se Graecos magis quam Romanos haberi vellent. Aliam igitur causam subesse oportet, si qui sint, qui Graecas fabulas quam Latinas legere malint. Atque haec causa his verbis: 'Synephebos ego potius Caecilii aut Andriam Terentii quam utramque Menandri legam?' significatur, si sententiam spectes, tecte quidem, sed tamen non obscure, si formam, ita ut Cicero notissima illa figura occupationis utatur. Ac sententia quidem, si enodatius verba exponere licet, haec esse mihi videtur: 'Forsitan quispiam dixerit: ego non domesticarum rerum fastidio a Latinis abhorreo, sed quia Latina scripta aut inculta et horrida sunt, Graeca contra polita et elegantia, aut si non sunt, illa legere utique est rivulos potius consectari quam a fontibus haurire. Caecilium igitur aut Terentium legam, qui quamvis non sint inelegantes, tamen nihil nisi imitatores sunt Menandri?' Itaque ut modo vis exemplorum contrarie relatorum, Medeae Ennianae, Antiopae Pacuvianae, Euripidis fabularum potissimum in Graecae gentis cum Latina comparatione universa versata est, ita nunc in exemplarium cum horum imitationibus collatione versatur. In prioribus exemplis de *patriae,* in posterioribus de *elegantiae* studio agitur. Illos patriorum, etiamsi bene scripta sint, propter nimium Graecorum amorem utique osores Cicero non audit, his, quibus propter politioris elegantiae studium aliqua certe causa est, cur Latina contemnant, ita respondendum esse censet iis quae proxime sequuntur: 'a quibus tantum dissentio et cet.', ut eos ad patriae et domesticarum rerum studium revocet ('mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt'). Itaque Cicero huius loci, de quo quaerimus, verba si spectas, fere idem quod antea dixisse videtur, sin sententiae rationem ac consilium, diversa nec secum pugnantia, quemadmodum Madvigius vult, dicit. Oratio autem quoniam occupationis formam habet, abruptius quoddam dicendi genus eam decet nec Madvigio offensioni id esse debuit, quod in tali orationis conformatione usitatissimum est. Reprehensio denique, quae occupationem sequitur, a Pronomine relativo incipit; cf. Seyffert. Schol. Lat. I, p. 157. In quo quod Singularem

inquit Pluralis Pronominis *(a quibus)* excipit, nemini mirum esse debet, qui meminerit, verbum *inquit*, si occupantis est, non de uno solum certoque adversario, sed etiam de pluribus vel de toto quodam genere adversariorum dici; cf. Seyff. l. l. p. 143. Ut hoc loco significatur genus eorum, qui se Latina contemnere dicant ut inculta et ab elegantiae iudicio abhorrentia. Quod si quis locum consideraverit, quem exscribere dignum est, Acad. II, 19, 60: 'Restat illud, quod *dicunt*, veri inveniendi causa contra omnia dici oportere et pro omnibus. Volo igitur videre quid invenerint. Non solemus, *inquit*, ostendere. Quae sunt tandem ista mysteria? aut cur *celatis*, quasi turpe aliquid, sententiam vestram? Ut, qui audient, *inquit*, ratione potius quam auctoritate ducantur. Quid, si utroque, num peius est? Unum tamen illud non *celant*, nihil esse quod percipi possit', — num ei videbitur nostro loco Pluralis Pronominis ad adversariorum genus, quorum dictum verbum *inquit* designat, referri durissime?

II.

I, 6, 17. Principio, inquam, in physicis, quibus maxime gloriatur, primum totus est *alienus* (Epicurus).

Quod Cicero Latine se docuisse philosophiam et ei quasi civitatem dedisse gloriatur (III, 12, 40), id assecutus est cum multis aliis dicendi virtutibus, tum eo quod egestati linguae Latinae ita succurrebat, ut aut nova rebus novis imponeret nomina, quae tamen ad patrii sermonis consuetudinem accommodaret, aut ex aliis transferret (Acad. 1, 7, 25), id est, novam vim vocabulis usu receptis subiceret, quam quidem a propria significatione non adeo deflecteret, ut obscura esset translatio (de Or. I, 34, 155). In horum translatorum numero mihi videtur h. l. esse nomen *alienus*, quod quid sibi velit, satis declarant et ea quae sequuntur: *Democritea dicit* (sic emendata est a Madvigio scriptura codicum A B Erl.: Democrite adicit) et alii loci, velut § 18: Epicurus — sequitur Democritum, § 21: quae sequitur, sunt tota Democriti, IV, 5, 13: Equidem etiam Epicurum, in physicis quidem, Democriteum puto, D. N. I, 26 73; 43, 120; Acad. I, 2, 6. Epicurus igitur in physicis dicitur ita alienae sententiae obnoxius esse, ut tanquam ipse sui alienus sit; respondet igitur vox hac vi praedita nostrae unselbstständig; contraria est vocabulo *suus*, selbstständig, ut IV, 4, 10: Nam qui sciet, ubi quidque positum sit quaque eo veniat, is, etiam si quid obrutum erit, poterit eruere semperque esse in

disputando *suus*, V, 5, 14: 'Hic quoque (Diodorus) *suus* est de summoque bono dissentiens dici vere Peripateticus non potest', ubi recte Alanus: suae sententiae s. disciplinae auctor potius quam alienae accensendus. Itaque errant ii lexicographi, qui alienum esse in physicis interpretantur rudem eorum atque imperitum esse. Neminem autem ante Ciceronem hanc vocem ad eos scriptores, qui nihil haberent, quod ex suis ipsi ingeniis depromerent, sed omnia fere ex aliis mutuarentur, transtulisse credibile est. Sed novam illam translationem, id quod nemo adhuc editorum, quos quidem ego noverim, observavit, Cicero adscivit de Graecis, qui *ἀλλότριος* non solum in iis bonis vel rebus, quae aliorum essent, dicere solebant, sed etiam in ipsis scriptoribus aut libris eorum, qui sententiis vel placitis aliorum pro suis uterentur. Athenaeus XI p. 508 C: *Θεόπομπος ὁ Χῖος ἐν τῷ κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς 'Τοὺς πολλοὺς' φησὶ 'τῶν διαλόγων αὐτοῦ ἀχρείους καὶ ψευδεῖς ἄν τις εὕροι· ἀλλοτρίους δὲ τοὺς πλείους, ὄντας ἐκ τῶν Ἀριστίππου διατριβῶν, ἐνίους δὲ κἀκ τῶν Ἀντισθένους, πολλοὺς δὲ κἀκ τῶν Βρύσωνος τοῦ Ἡρακλεώτου.'* Hic usus Graecorum fluxit ex locutione *τἀλλότρια εἰπεῖν*; Plato Phileb. 29 A: *βούλει δῆτα καὶ ἡμεῖς τοῖς ἔμπροσθεν ὁμολογουμένοις ξυμφήσωμεν — καὶ μὴ μόνον οἰώμεθα δεῖν τἀλλότρια ἄνευ κινδύνου λέγειν*; Etiam Cicero de eodem Epicuro infra § 26: *Aliena dixit in physicis.* Quae cum ita sint, vere conicere licet in Graeco fonte, quem Cicero in reprehendendis physicis Epicuri secutus sit, Epicurum dictum fuisse *πάντα εἶναι ἀλλότριον*, quod latine reddens Cicero vim novam vocabulo *alienus* subiecerit, atque locum ex iis esse, e quibus appareat Graecorum orationem etiam apud Ciceronem, etsi operam dederit, ut color Latinus ne adulteraretur (Tusc. I, 8, 15), ad verborum et electionem et usum singularem aliquid valuisse. Rarissime in struendae orationis genere hoc factum est. Factum tamen esse insigne exemplum est II, 18, 59: 'Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam et velle aliquem super eam assidere, cuius mors tibi *emolumentum futura sit*, improbe feceris, nisi monueris, ne assidat.' Codd. interpolati habent: emolumentum *factura*; Lambinus legi voluit: *emolumento* futura, quae emendatio Madvigio in priore editione non improbata est. Qui si cogitassent Ciceronem locum quemdam Graecum ad verbum expressisse, in Nominativo non erant offensuri. Nam vix dubium erit quin Graece scriptum fuerit *οὗ ἂν ὁ θάνατος* sive *ὃς ἂν ἀποθανὼν κέρδος σοι μέλλῃ ἔσεσθαι* vel tale quid, certe quidem Nominativus *κέρδος*; nam pro Dativo, qui est rei, in his: est mihi laudi, emolumento, Graecos Nominativum posuisse, *ἔστι μοι ἔπαινος, κέρδος,* tantum satis est admonuisse, ut satis intellegatur Ciceronem hunc locum e Graeco in Latinum vertentem verba ad Graecae orationis similitudinem struxisse, alioquin Nominativo non usurum. Quod

si Madvigius in ed. nova eiusdem structurae exemplum e Livio affert III, 38, 4: discordiam impedimen*tum* dilectui fore, id ipsum documento est Livium in hoc structurae genere, ut in multis aliis, Graecam quam Latinam orationem sequi maluisse.

III.

I, 7, 24: Sed ut omittam pericula, labores, *dolorem etiam*, quem optimus quisque pro patria et pro suis *suscipit*, ut non modo nullam captet, sed etiam praetereat omnes voluptates, *dolores* denique *quosvis suscipere malit* quam deserere ullam officii partem etc.

Madvigius hunc locum a suspicione interpolationis, quam Davisius et Bremius moverant, ille verba *dolores denique — partem*, hic *dolorem etiam* (quem in quae mutato) ut adulterina damnantes, bene defendit, sed in numero eorum ponit, in quibus Cicero a se ipse desciscere verbaque magis quam sententiam efficere videatur (cf. Praef. ed. alt. p. LXIII), quos nemo defendat nisi natio illa superstitiosorum Ciceronianorum, qui nullum in Cicerone ferant naevum. At ego vel cum eius modi probri periculo dicam aperte quod sentio. Parum commode haec a Cicerone dicta esse quis nostrum neget? Sed tamen possunt excusari; primum enim Cicero non ita dixit: 'dolorem suscipit — ut etiam dolores suscipiat', quemadmodum Madvigius vult, — nam hoc ridicule dictum esset ac ne festinanter quidem scribenti excidere potuit — sed — id quod iam ab aliis observatum est — 'dolores *quosvis* suscipere *malit*' praemissis insuper illis 'ut non modo nullam captet, sed etiam praetereat omnes voluptates', ut in hoc enuntiato vis sententiae primariae augeatur, non verba inaniter repetantur, atque hic sensus sit: dolorem suscipit optimus quisque 'nulla expectata voluptatis mercede, cum omissione etiam voluptatis' atque eo animo, ut, si officii ratio postulet, ne ullum quidem genus dolorum recuset. Deinde Cicero non raro in enuntiatis per ita — ut vel ut simpliciter illatis verbum primariae sententiae repetit vel aliud, quod idem declarat, substituit cum adiectione aliqua, quae aut ad accuratius explicandam illam sententiam aut ad augendam cumulandamque valeat. III, 4, 12: 'Cum enim virtutis hoc proprium sit, earum rerum, quae secundum naturam sint, habere delectum, qui *omnia sic exaequaverunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla selectione uterentur*, hi virtutem ipsam sustulerunt; III, 7, 23: 'Atque ut membra nobis ita *data sunt*, ut *ad quandam rationem vivendi data esse* appareant'; Off. III, 4, 20: 'Nobis

nostra Academia magnam *licentiam dat*, ut, quodcunque maxime probabile occurrat, id *nostro iure liceat* defendere (de hoc usu verborum concedendi et permittendi cf. exempla ea, quae iam Zumptius in Gr. L. § 750 collegit). Aliam formam orationis, sed eandem fere vim habent haec: *veniebat et saepe veniebat; dicerem et libenter dicerem*, de quo dicendi more Halmius ad Cic. or. pro Sulla 6, 18 conferendus est.

IV.

I, 11, 38: Itaque non placuit Epicuro, medium esse quiddam inter dolorem et voluptatem; illud enim ipsum, quod quibusdam medium videretur, *cum* omni dolore *careret*, non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem.

Morelius codicis sui vestigium secutus et Manutius *omni dolore carere* (omisso *cum*) scribi voluerunt, quod non solum Lambinus, sed etiam Baiterus in ed. min. recepit. Sed quamvis sic commode se habeat sententia, tamen vereor, ne sedem labis, quae sine dubio illi loco inest, non invenerint. Etenim illud artem criticam his libris adhibenti tenendum est, codices meliores non admodum multis additamentis Grammaticorum vel librariorum sive sciolorum sive insciorum inquinatos esse, praesertim in prioribus duobus libris, quos constat cognitu faciliores esse ceteris ob eamque rem minus loci dedisse interpolationi. In quibus si quaesiveris quidnam alienum esse a Ciceronis manu certum exploratumque sit, perpauca reperies, quae interpolatoris manum produnt. Atque in primo quidem libro vix aliud quidquam a Cicerone alienum est, quam quod § 3 'sive enim ad sapientiam perveniri potest, non paranda nobis solum ea, sed fruenda etiam est' inter *etiam* et *est* interponitur, *sapientia*, et § 71 *dixi* inter *omnia* et *hausta* insertum fortasse eo natum, quod proxime antecedit *ea quae dixi*; nam § 19 'deinde ibidem homo acutus cum illud occurreret — *itaque* attulit rem commenticiam', dubium est, sitne *itaque* glossema an antea exciderit aliquid, ad quod *itaque* referatur; quod autem Baiterus § 6 'quae et splendide dicta *sint* neque sint conversa de Graecis' prius *sint* delevit, vix cuiquam probabit, nam iteratum *est, sunt, sint* in enuntiatis coniunctis nihil habet apud Ciceronem offensionis: Tusc. III, 27, 64: ipsa remissio luctus cum *est* consecuta intellectumque *est*; ibid. § 74: si et eadem res *est* et idem *est* homo; IV, 22, 50: Vide, ne fortitudo minime *sit* rabiosa *sit*que iracundia tota levitatis. cf. Wesenb. ad Tusc. I § 60, Kühner. ad V § 2. Nec magis eidem iusta causa fuit in edit. min. nostri libri § 27 'con-

certationesque in disputando pertinaces' illud *in disputando*, § 30 'sentire haec putat' hoc *putat*, § 63 'maximasque ab eo et gravissimas res' hoc *ab eo* uncis includendi. In altero autem libro aperta glossemata haec sunt: § 25: ille porro *[male]* prave, § 34 in A B: non valetudinem *[corporis]*, § 35 ut voluptatem illam *[Aristippi]* in prima commendatione poneret; § 108 tota sententia *Animo voluptas — gratulatur* pro foedo glossemate habenda est. Aliis locis res dubia est, velut § 13 'primum idem *esse* dico voluptatem', ubi *esse* non tam additamentum, quod eiciendum sit, quam corruptum ex *ego* esse non sine causa suspicatur Madvigius; § 71 'Ita, *quod certissimum est*, pro vera certaque iustitia simulationem nobis iustitiae traditis', ubi ineptum illud *quod certissimum est* variis coniecturis — turpissimum, perniciosissimum, cerritissimum, perversissimum, inertissimum (L. de Jan l. l.) — tentatum omnino tollendum censeo ut perversum additamentum, quod ex adnotatione librarii alicuius illi sententiae Ciceronis vehementer assentientis margini adscripta in textum fluxisse verisimile est. Contra neque § 11 *ille* post *inquit* neque § 33 *et* post *simul* cum Madvigio tolles nec cum Baitero § 36 *cum se devoveret et* damnabis, sed cum Davisio et Madvigio devo*v*erat corriges et Ciceronis esse iudicabis, nec § 79: *Siculo fecit tyranno* uncis includes. Quodsi ad glossemata illa, de quibus nemo dubitabit, hoc illudve accesserit, quod huius illiusve sagacitas investiget, tamen perexiguum in his libris eorum numerum fore quovis pignore contendam. Quae res cum ita sit, critici erit, sicubi corruptum aliquid iudicaverit, omnem aliam curationem prius adhibere, quam ad secandum et excidendum confugiat. Quod in eum locum, de quo quaerimus, cadit. Sententiarum ratio necessario requirit definitionem illius, quod aliis medium videtur; ea non potest non inesse in verbis corruptis *cum omni dolore careret*. Quod si locum cum Morelio et Baitero ita sanabis, ut deleas *cum* atque sic scribas: *omni dolore carere*, quamquam sic bene curasse videberis, tamen, quoniam non intellegitur, qui fieri potuerit ut in tam integram perspicuamque sententiam illud *cum* intruderetur, alia ei admovenda erit curatio. Scribendum erit: *cum omni dolore caremus. Illud ipsum*, ut ait Epicurus, quod quibusdam medium videtur, *cum omni dolore caremus*, voluptas est. Coniunctio *cum* hoc loco, ut aliis multis, definientis est (cf. Wichert. Lat. Stillehre § 203); in tali re Latini verbi personam primam Pluralis non raro ponunt, II, 5, 16: 'Quis enim est qui non videat haec esse in natura rerum tria? unum, *cum* in voluptate *sumus*, alterum, cum in dolore etc.'; Acad. II, 45, 138: 'qui summum bonum dicant id esse, si *vacemus* omni molestia'. Sententiam igitur si spectes, nostra emendatio idem efficit quod Moreliana, sed lenior est naturaeque codicum, quam supra descripsimus, accommodatior. Madvigius, qui lectionem codicum

cum — careret ita defendit, ut *cum* pro causali accipiens illud *cum — careret* ad proxima verba *non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem* referri velit, negat inesse definitionem, quam si esse voluisset Cicero, etiam alterum *et omni voluptate* additurus fuerit; at id alterum Torquatus Epicureus non potuit non omittere, quippe cui magnopere cavendum esset, ne diceret carere omni voluptate esse summam voluptatem.

V.

I, 11, 39: Idcirco enim non *desideraret*, quia, quod dolore caret, id in voluptate est.

In Coniunctivo *desideraret* quamquam ab omnibus codicibus praebito vehementer offendor, quid velit, nescius. Nullam aliam viam eum defendendi video nisi ut audiatur ex superioribus: *si loqui posset* aut *si viveret* aut *si sensu praedita esset manus.* At tale quid parum commode hoc loco cogitando repeteretur, cum manus modo ficta sit sensum ac mentem quandam habere, omninoque vis argumentationis frangeretur, si ad extremum legentes admonerentur manum illam sensu ac ratione carere. Quoniam autem nulla alia cogitari potest protasis, ad quam Coniunctivus Imperfecti referatur, mendum latere suspicor, quod iam in archetypo fuerit, unde in codices nostros omnes fluxerit. Pone Indicativum *desiderat:* iam omnia recte se habebunt. Id, quod contra nos Epicureos, inquit Torquatus, ex manu porrecta Chrysippi concluditur, nihil est, quod ad nos pertineat. Non enim Cyrenaicorum nos rationem sequimur, quibus placet eam solam voluptatem esse, quae suavitate aliqua sensus moveat; contra hos enim satis acute illud conclusum est, manum Chrysippi desideraturam esse voluptatem, si bonum esset; nunc non desiderare, non esse igitur bonum voluptatem; contra nos autem, quibus summum bonum vacuitas doloris est, illa rogatiuncula nihil valet; non recte enim concessum est, si voluptas esset bonum, fuisse desideraturam: idcirco enim non *desiderat,* quia iam bonum tenet, i. e. vacuitatem doloris sive voluptatem. Archetypi autem librarium sive quisquis ante eum fuit, vicinitas Coniunctivorum Impf. 'si voluptas *esset* bonum', 'cum ita *esset* affecta', decepit, ut hoc loco in eundem Coniunctivum aberraret, vitio non raro: cf. IV, 13, 33, ubi codd. omnes habent: 'tale enim visum *esset* ultimum Stoicorum', Madvigius autem Indicativum Praesentis *est,* quem disputatio requirit, restituit similibus exemplis collectis, ex quibus *esset* ex antecedentibus Coniunctivis Imperfecti falso ortum esse appareret; alia exempla horum librorum haec

sunt: III, 14, 46: 'nec plura paucioribus nec longinquiora brevioribus antepo*nent*', ubi in codice Morelii, in B et Erl. scribitur antepo*nerentur,* quae forma ex superiore *anteponerentur* orta est (ceteri codd.: anteponentur); III, 18, 60: 'e quo *apparet*' codd. B. Erl. appa*reret;* IV, 15, 41: 'quid ergo aliud intelle*getur*' codd. B. E. Morelianus: intelle*geretur;* V, 29, 87: quaeremus, BE quae*reremus;* III, 1, 2: 'qua nihil pote*st* esse praestantius' AE pos*set*, (B Morel. pos*sit*); contra III, 3, 11 vera esse videtur codicum ABE scriptura 'si ullam aliam probavissent praeter eam, quae nihil aliud in bonis *haberet* nisi honestum'; Klotzius et Baiterus: *habet;* Madvigius contra in ed. alt. habe*ret;* 'Forma verbi accommodatur ad id, quod de praeterito tempore fingitur'.

VI.

I, 13, 42: Istae enim vestrae eximiae pulchraeque virtutes nisi *voluptatem* efficerent, quis eas aut laudabiles aut expetendas arbitraretur?

Voluptatem Madv. in ed. prior., Klotzius, Baiterus, alii, quae lectio codicis A auctoritate confirmata est. Nec tamen eam curis secundis Madvigius secutus est, sed posteaquam iam in praef. p. XLIII edit. pr. de Singulari dubitavit, nunc ex Erl. et B Pluralem volup*tates* recepit, quoniam ad virtutes, non ad virtutem hoc referretur. At ipse laudat e Graecis fontibus eos locos, e quibus manifestum est unice veram esse lectionem codicis A: Diog. X, 138 *διὰ τὴν ἡδονὴν καὶ τὰς ἀρετὰς αἱρεῖσθαι*; Athen. XII, 546 F. ex libro Epicuri *περὶ τέλους*: *Τιμητέον τὸ καλὸν καὶ τὰς ἀρετὰς καὶ τὰ τοιουτότροπα, ἐὰν ἡδονὴν κατασκευάζῃ* *). Cf. e nostris libris 1, 16, 50: sapientiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum vol*uptate*, ut ab ea nullo modo nec divelli nec distrahi possint; § 54 quodsi ne ipsarum quidem *virtutum* laus — reperire exitum potest, nisi dirigatur ad *voluptatem;* II, 21, 69: '[Cleanthes] iubebat — cogitare pictam in tabula *Voluptatem —;* praesto esse *Virtutes* ut ancillulas, quae nihil aliud agerent —, nisi ut *Voluptati* ministrarent'. Itaque non fuit, cur Madvigius codicibus BE magis obtemperaret quam praestantiori codici A. Nec dubium erit, quin librarius eius exempli,

*) Hic locus valet ad emendandam corruptelam, quae inest V, 31, 93. Codd. BE: 'qui fatentur se virtutis causa, nisi ea *voluptate maceret*, ne manum quidem versuros fuisse'. Lege: volupta*tem efficeret*. (Klotzius: faceret; Baiterus: crearet, quod Madvigius ed. 2. non putat ita poni. Idem disputat contra lectionem *acciret*).

unde codicum BE ducitur origo, in eundem scribendi errorem inciderit, ac I, 7, 25: ubi BE non, ut A, Singularem voluptatem, sed Pluralem falso praebent. Omninoque eiusmodi mendum in codicibus Ciceronianis non rarum fuisse testantur, ut alia exempla mittam, codices Nonii, in quibus p. 550, 20 scribitur: M. Tullius de Finibus bonorum et malorum lib. II (§ 91): 'qui enim volun*tates* ip*sas* contempnunt'; nostri h. l. recte volup*tatem* ip*sam*.

VII.

I, 16, 50: Sic de iustitia iudicandum est, quae non modo nunquam nocet cuiquam, sed contra semper *aliquid* (codd. ABE) * * cum sua vi atque natura (A), quod tranquillet animos, tum spe, nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata desideret.

Reiecta codd. deteriorum lectione *alit quid* Madvigius meliorum scripturam *aliquid* restituit, unde apparuit locum mutilum in Archetypo relictum esse. Ipse lacunam hoc modo explevit, ut post *aliquid* insereret *affert,* ut haec esset forma orationis et sententiae: iustitia aliquid affert cum sua vi, quod tranquillet animos, (ubi *quod* Relativum est referturque ad *aliquid),* tum spe etc. Madvigium Baiterus in ed. min. secutus est. Sed mihi locus nondum persanatus videtur. Primum enim non probatur collocatio verborum *cum sua vi atque natura* inter *affert* et *quod tranquillet* interiectorum, cum expectes *sed contra semper cum sua vi atque natura aliquid affert;* deinde sententia ipsa, quae sic efficitur, idcirco non nihil habet offensionis, quod contrarium, cuius altera pars his continetur verbis: *quae non modo nunquam nocet cuiquam,* imperfectum esset, si sequeretur altera pars, cuius haec esset sententia: *sed semper aliquid ad animos tranquillandos affert.* Quid igitur est? *Affert* bene a Madvigio restitutum; adice id, quod una cum verbo olim excidisse putandum est, Genetivum *utilitatis* vel *commodi:* unum vel alterum vocabulum valebit ad sententiam pleniorem efficiendam, si modo *tranquillet* mutabis in tranqui*llat, quod* autem non pro Relativo, sed pro Coniunctione accipies. Iustitia, ut Torquato placet, non modo nunquam nocet cuiquam, sed semper *prodest* ei, qui eam colit, suapte natura, quod tranquillum facit animum — nam Epicuri *κυρία δόξα* XVI haec est: *ὁ δίκαιος ἀταρακτότατος, ὁ ἄδικος πλείστης ταραχῆς γέμων* (Diog. Laert. X, § 144), qui iustus est, is suum cuique tribuit, nocet nemini ob eamque causam benevolentiam sibi conciliat et, quod aptissimum est ad quiete et tranquille vivendum, caritatem; nec habet, cur odia insidiasque aliorum timeat

nec ipse conscientia improbe factorum aut metu poenae legum sollicitatur. Sic magnam utilitatem affert iustitia. Eadem utilem se praebet spe proposita fore ut, qui ea utatur, nunquam propter inopiam earum rerum, quas non habeat, ad eas res rapiatur, quas non facile possit adipisci nisi iniuriam alteri inferendo, sed semper habeat ea, quae natura inanibus cupiditatibus non depravata desideret, quae facile parentur sine ulla iniuria. Ut igitur improbitas multa incommoda fert, ita iustitia commoda et utilitates, in ipsa autem utilitate inest iucunditas; itaque infra § 53 iustitia iucunditatis vel plurimum afferre dicitur. Possis igitur nostro loco legere: aliquid affert *iucunditatis;* sed *utilitatis* vel *commodi* ideo praetulerim, quod Epicurus ipse apud Diog. Laert. X, § 150 dicit: *τὸ τῆς φύσεως δίκαιόν ἐστι σύμβολον τ ο ῦ σ υ μ φ έ ρ ο ν τ ο ς εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους μηδὲ βλάπτεσθαι.*

VIII.

I, 19, 63: In dialectica autem vestra nullam existimavit esse nec ad melius vivendum nec ad commodius disserendum *viam*. (Hic est ordo verborum in ABE; in deterioribus codd.: nullam viam existimavit esse).

Vetus est emendatio: *vim* pro illo *viam*, quam Madvigius etiam in ed. alt. tenuit: nam 'ars' inquit 'viam monstrat, *in arte esse viam ad melius vivendum* nemo dixit'. Sane nemo; at cur non poteris dicere: in arte *nullam esse viam existimo* ad —? Torquatus quidem ita dicere poterat: dialecticam vestram non esse viam ad melius vivendum, sed h. l. dialecticam quasi regionem esse vult, in qua variae viae sint, e quibus fore ut una saltem ad vitam meliorem ferat sperare liceat, sed ex omnibus viis, quae patere videantur, nullam idoneam reperiri. Itaque audire tanquam Epicurum nobis videmur, quemadmodum apud Ciceronem Tusc. 3, 18, 41 dixit: 'Saepe quaesivi ex iis, qui appellabantur sapientes, quid haberent, quod in bonis relinquerent, si illa detraxissent, nisi si vellent voces inanes fundere: nihil ab iis potui cognoscere', sic non minus insolenter de Stoicorum dialectica ita loquentem: 'Saepe quaesivi in dialectica, qua maxime gloriantur Stoici, essetne aliqua via, quae ad melius vivendum duceret, sed nullam in ea inveni'. Varias autem esse in dialecticis vias cognovit saltem is qui Acad. II, 30, 98 ita loquitur: 'sequor igitur *eas vias* quas didici ab Antiocho'. Itaque ego quamquam vocabula *viam* et *vim* saepe a librariis permutata esse video, velut II, 5, 15, ubi BE: videor *viam* verborum tenere pro *vim* v. t., tamen non esse existimo, cur h. l. codicum scriptura deserenda videatur.

IX.

I, 17, 55: Ut enim aeque doleamus *animo,* cum corpore dolemus, fieri tamen permagna accessio potest, si aliquod aeternum et infinitum impendere malum nobis opinemur.

Labe quadam hunc locum laborare primus vidit Madvigius, quam sic removere instituit, ut vocem *animo* delendam esse existimaret, quo facto hic sensus oritur: 'Ut enim tum, cum corpore dolemus, non minorem dolorem percipiamus, quam cum animo, ita ut nondum in ipso momento percipiendi praesentis doloris excellat animi dolor, tamen etc.' Madvigio Baiterus assensus est. Ego autem, quoniam codicum nostrorum fide dignorum ea est condicio, ut multo plus lacunarum quam additamentorum habeant, si quis locus corruptus esse iudicetur, causam corruptionis si non in mendo aliquo (velut supra IV), in *omissis* verbis uno aut pluribus prius quaerendam esse existimo, quam liceat suspicari subesse aliquid suppositicii. Nam si in his de quibus disputamus libris numerum eorum locorum, qui haud dubie additamentum aliquod habent, contuleris cum iis, in quibus excidisse aliquid pro certo affirmari potest, calculis tanquam subductis reperies omissa suppositiciis numero quinquies fere superare *). Quamobrem hoc quoque loco quaesivi, nonne vocabulum

*) Loci, in quibus aliquid a librariis omissum est, hi fere sunt: I § 10 'ego autem mirari non queo', ubi *satis* deesse primus intellexit P. Manutius, recte Madv. inter *mirari* et *non* interposuit — nam Alani coniecturam *rimari* scribentis quamvis ingeniosam atque a Baitero probatam alienam hoc loco esse docuit Madv.; ibid. inter *non modo* et *inopem* ABE *non* omiserunt; § 19 ante *itaque attulit* aliquid excidisse verisimillimum est (cf. supra p. 11); ibid. post *tum ne efficit* excidit *quidem* in ABE; ante § 23 'confirmat autem illud' lacuna satis magna; § 50 'sed contra semper aliquid' deest *affert utilitatis*, ut supra (VII) demonstratum est; ibid. inter *desideret* et *quemadmodum* Lambinus *et*, inter *sic* et *cuius* Madv. *improbitas si* interposuerunt; § 51 Madv. pro *potius inflammat* scripsit *potiusque*, Baiterus *sed* potius; § 70 'saepe enim videmus' Klotzius: saepe *esse factum* videmus (Halmius saepe *evenire* v.). II, 21 post *nihil haberemus* omiserunt codd. *quod reprehenderemus*; § 24 *'et tamen non negat'* illud *non* intercidit in ABE; § 25 'non igitur *bene.* Nec lapathi suavitatem' *bene* primus inseruit Madvig.; § 33 'simul et ortum *est*' *est* excidit in ABE; § 34 ante *his omnibus quos dixi* statuenda lacuna non parva est; § 36 inter *permittunt* et *privatarum* Lambinus *cum* addidit; § 40 'ad intellegendum et ad agendum' alterum *ad* deest; § 53 ante *animi conscientia improbos excruciari* ponendum fuit *cum*; § 54 'Tubulus — ausus'; scribendum *ausus est*, nisi mavis cum Baitero: *Tubulus est statim* — ausus; ibid. 'Non igitur de improbo, sed callido im-

aliquod ad sententiae integritatem necessarium esset omissum, unde locus vitium traheret. Perspecta igitur totius loci ratione Particulam *ac* inter *animo* et *cum* intercidisse existimavi, ut locus sic refingendus esset: *Ut enim aeque doleamus animo ac cum corpore dolemus,* etc. Res enim ita se habet: Torquatus antea maiores esse dixit dolores animi quam corporis; nam corpore nihil nisi praesens et quod adesset sentire nos posse, animo autem et praeterita et futura. Ab hac sententia descendit ad concessionem quandam rationi Epicureae consentaneam, qua illud de maiore animi dolorum vi iudicium elevare videtur: 'ut enim *non* maiores esse dolores animi quam corporis concedam, sed aeque magnam utrorumque vim', quod Cicero his expressit verbis: 'ut aeque doleamus animo ac (sc. dolemus) cum corpore dolemus', ut dici non possit, utrum sit vehementius, si utriusque doloris magnitudinem per se ponderes ponderatamque alteram cum altera compares. Iam illud ex hac concessione concluditur: fieri tamen animi dolore tum cum corpore dolemus permagna accessio potest, si aliquod aeternum et infinitum impendere malum nobis opinemur. Bene Zeller (Philosophie der Griechen III², 1, 406): Ein eigenthümlicher Inhalt blieb freilich den geistigen Genüssen und Schmerzen nicht übrig, ihr unterscheidendes

---

probo' post *sed* excidit *de;* idem vocabulum § 68 ante *quibus* ('de obscenis voluptatibus, *de* quibus'); § 82 'quod sine ea' aut *cum* aut *si* ante *sine* intercidit; § 87 'nec appellatur omnino vita *beata* nisi confecta atque absoluta' codd. ABE *beata* omiserunt, vocabulum mea quidem sententia utique necessarium, ac miror, quo pacto fieri potuerit, ut Madvig. Baiterum illud in ed. min. omittentem secutus sententiam sic enodaret: 'neque omnino vitae nomine utimur nisi de vita confecta' et adderet: 'Non accurate hoc dictum erit nec vere; sed potuit tamen Ciceroni excidere'; Ciceroni? immo librariis codicum vocum singularum nimis incuriosis vox *beata* excidit eadem neglegentia, qua § 9 ante *sibi videtur esse moriens* idem vocabulum *beatus* praetermiserunt (ibid. post *negat Epicurus* A omisit *ne* [EB nec]); § 94 ante *viperino* omnes Praepositionem *ex* omiserunt; § 98 'quid isto egregio tuo officio' desideratur in codd. post *quid* Praepositio *ex* aut *in;* § 100 'testamentum non solum philosophi gravitate' ante *philosophi* Praepositio *a*; § 104 'Sed ut ad propositum revertamur' Codd. ABE *revertamur* non habent; § 115 'ex animi parte, in qua' ABE Praepositionem *in* omiserunt. Aliis locis res in dubio relinquitur, sitne aliquid omissum, velut II § 50: 'sine ea igitur iucunde negat *posse vivere*', ubi Baiterus: posse *se* vivere, quem nunc Madvigius secutus est; sed quaestio est, utrum *se* inserendum sit an *vivi* scribendum an nihil mutandum, cf. Acad. 2, 20, 64: Ei respondere *posse* (sc. *me*) diffiderem; Tusc. 2, 17, 40: ferre non *posse* (sc. *se*) clamabit, ubi optimi codd. Regius et Gudianus *se* omiserunt; § 52 'Quam illa ardentis amores excitaret sui, *si videretur*' Illud *si videretur* codd. tantum deteriores habent; Halmius coniecit *si cerneretur*, Madvigius illam condicionalem sententiam non desiderat, quippe quae satis intellegatur ex praecedentibus, si quam Cicero posuisset, scripturum fuisse *si cerneretur* existimans: at vide Acad. I, 11, 41.

Merkmal konnte daher nur darin gesucht werden, dass zu der gegenwärtigen Lust oder Unlust theils die Erinnerung, theils die Hoffnung oder die Furcht hinzutritt, und ihre höhere Bedeutung liess sich nur mit der grösseren Stärke und Dauer begründen, welche diesen ideellen Gefühlen in Vergleich mit den unmittelbar gegenwärtigen sinnlichen Reizen zukomme. — Ceterum in codicibus illud *ac* inter animo et cum facile potuisse intercidere non est quod pluribus demonstrem; cf. tamen V, 10, 27, ubi codd.: 'est enim infixum in ipsa *natura, comprehenditur* suis cuiusque sensibus'; hiulca erit oratio, nisi cum Alano et Baitero interseremus inter *natura* et *comprehenditur* illud *ac* (Madvig. comprehenditur*que*); V, 19, 50 codd. nihil unquam mag*na cog*nitione dignum; rectissime Bremius coniecit: mag*num ac* cognitione d., quod a Madvigio et a Baitero in ed. min. acceptum est.

X.

II, 3, 8: Omnes enim iucundum motum, quo sensus *hilaretur*, Graece *ἡδονήν*, Latine voluptatem vocant.

Codd. A B E Crat.: *hiaretur*, deteriores *hiaret*, *hiarent;* veram scripturam *hilaretur* Nonius p. 121, 25 (Merc.) servavit, ex quo iam Victorius in textum Ciceronis transtulit. Qua reiecta Bakius in Mnemos. II, p. 413 *titillaretur* coniecit, quem nollem Baiterus in ed. min. secutus esset. Primum enim Coniunctivus Imperfecti locum non habet, cum non sententia aliqua scriptoris referatur, sed notio omnium hominum communis proferatur; deinde ipsum verbum *titillandi* ab hoc loco prorsus abhorret. Nam id, quod voci *γαγγαλίζειν* respondet, Epicureorum proprium est; Cic. D. N. 1, 40, 113: 'at has leviores dicis voluptates, quibus quasi titillatio — *Epicuri* enim *hoc verbum est,* adhibetur sensibus', hoc autem loco explanatur opinio hominum et usus loquendi communis. Accedit quod Cicero nusquam hac voce utitur nisi addito *quasi*, uti iam Schoemannus observavit ad Cic. D. N. l. l. cf. de Fin. 1, 11, 39; Tusc. III, 20, 47; Cato M. 14, 47; Off. II, 18, 63; nam de Fin. III, 1, 1, ubi olim ex codd. deterioribus edebatur: 'aut pluris esse contendat dulcedinem corporis et *titillationem* (codd. et titillantem), meliorum librorum auctoritate illud *titillationem* nunc expunctum est. At *hilaretur*, quod quis idcirco repudiandum esse censet, quod insolita sit dictio *sensus hilaratur* nec usquam alibi apud Ciceronem inveniatur, ob id ipsum, quod contra morem consuetudinemque Cicero loqueretur, Nonius in capite II, quod de honestis et *nove veterum dictis* inscribitur, excerpsit vel potius ii Grammatici, ex quorum libris

talia hausit, unde conicere licet, et perantiquam et unice veram esse scripturam *hilaretur.* Nec vero si Nonius ipse vitioso exemplari horum librorum usus est, ob eam causam omnibus locis eius fides parvi aestimanda erit. Nonnullis enim locis solus veram scripturam conservavit; cf. Madv. praef. ed. alt. p. XXIII, qui quae attulit, ad ea adde V, § 55, ubi Nonius p. 211, 17: cum vero paulum pro*cesserunt*, codd. nostri Ciceroniani process*erint*. Denique, ut rem absolvam, a librariis litterulas *i* et *l* saepissime permutari res est notissima; velut II, § 70 A B E pro *aiat* habent *alat,* III, 73 codd. nonnulli Nonii p. 232: sine exp*ii*atione pro exp*li*catione. Ecquis ergo dubitabit, quin librarius Archetypi eo loco quem quaerimus pro h*il*aretur mendose scripserit h*ii*aretur, unde orta est scriptura h*i*aretur?

XI.

II, 12, 36. 37: Quid iudicant sensus? Dulce amarum, leve asperum, prope longe, stare movere, quadratum rotundum. *Quam* igitur pronuntiabit sententiam ratio. (Sic codd. omn.)

Locum corruptum variis modis sanare conati sunt editores: Fuerunt, qui signo interrogandi posito scriberent: Quam igitur pronuntiabit sententiam ratio? Quod prorsus alienum a loci ratione esse gravissimis argumentis docuit Madvigius. Ipse secutus est veterem emendationem, quae est in ed. Ascensiana quamque Davisius in Par. 3, codice deterioris familiae, invenisse se testatur: *Aequam igitur pronuntiabit sententiam ratio.* Eandem amplexi sunt Klotzius et Baiterus. At acute contra eam G. Fr. Ungerus in Philolog. XX, 375 disputans docuit hoc loco non agi de iudicii aequitate, sed cuius iudicii hoc esset, voluptas bonum esset necne*). Quod quam recte disputatum sit, ea, quae nostro loco proxime antecedunt, demonstrant, § 36 'nam quod ait sensibus iudicari voluptatem bonum esse, dolorem malum, plus tribuit sensibus quam nobis leges permittunt, cum (IX*) privatarum litium iudices simus. Nihil enim possumus iudicare, nisi *quod est nostri iudicii.*' Sensus igitur non iure possunt iudices in hac

*) ll. 'aequus geht blos auf die Billigkeit des Urtheils. Von einer solchen aber, behaupte ich, ist hier nicht die Rede. Nicht die Unparteilichkeit der Vernunft gegen die bei ihr rechtsuchenden Parteien kommt in Sprache, sondern ihre Berechtigung zur Urtheilsfällung, es ist ein Competenzstreit, in dem die Vernunft über die Sinne siegt.' Acute hoc quidem, sed, quod ipse coniecit: *Suam* igitur pr. s. r., vix cuiquam probabit amicus doctissimus.

causa constitui, quippe quibus non sit iudicium veritatis (Acad. 1, § 30). Iam ratio sententiarum necessario postulat, ut sequatur: Alius igitur iudex constituatur necesse est, cuius iudicii hoc sit, vel forma orationis interrogativa: Quis igitur erit iudex (legitimus), si sensus esse non possunt? Sic re considerata Cicero scripsisse mihi videtur: 'Quid iudicant sensus? — rotundum. *Quid igitur est? Pronuntiabit sententiam ratio* adhibita primum etc.' Hac formula *quid igitur est?* (cuius usus diversus est a formulae *quid igitur?*) interrogatur, quomodo res aliqua, si verum quaeras, se habeat; valet igitur ad expectationem audientium excitandam, quorum animi oratoris aut scriptoris arte in eum locum deducti sunt, ut aveant audire, quid rei sit, ut a dubitatione rei aut ignoratione aut falsa opinione leventur, perinde ac si aenigmatis alicuius propositi cupidi sint audiendi solutionem. cf. Seyff. Schol. lat. I, 104. 105. De fin. 1, 6, 17: 'quid igitur est? inquit; audire enim cupio, quid non probes'. Ac si quidquam, hanc certe formulam convenire nostro loco dico. Antea pluribus exposuerat Cicero de voluptate iudicare non esse sensuum; iam excitavit legentium animos, ut taciti sciscitarentur, cuius esset illud iudicium: tandem satisfacit eorum expectationi interrogatione praemissa *quid igitur est?* atque ita satisfacit, ut vocem, in qua caput rei sit, in extremo collocet: pronuntiabit sententiam — ratio.

At qui fieri potuit ut lectio *quid igitur est?* depravaretur in *quam igitur?* — Cum semel exciderat *est* — quod sexcenties factum est — atque scriptum erat: *quid igitur pronuntiabit sententiam ratio*, tanquam necessitate quadam librarium aliquem illud *quid* in *quam* correxisse consentaneum est. Iam mea emendatione sitne vera lectio restituta, viderint aequi harum rerum iudices.

His rite praemissis hoc edicto pronuntiamus fasces academiae nostrae crastino die ad virum illustrissimum et experientissimum

D. FRIDERICUM ALBERTUM ZENKER

Anatomiae Pathologicae et Medicinae Publicae Professorem Publicum Ordinarium

prorectorem suffragiis collegarum creatum, regis nostri augustissimi potentissimi clementia confirmatum translatum iri. Is eodem die hora matutina XI in aula academica munus suum oratione publica auspicabitur. Quam ut audiatis Vestraque frequentia his solemnibus speciem et dignitatem addatis, Vos, collegae coniunctissimi, commilitones humanissimi, amici universitatis nostrae omnium ordinum ornatissimi, omni qua par est observantia invitamus.

Erlangae die III mensis Novembris a. MDCCCLXIX.